



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Earum jucunditas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

hil est foecundius, aut amabilius, quibus non ruditas tantum animorum, sed vitia quoque & permotiones pravae sedantur. Seneca ad Lucilium epist. 16. Litterae animum formant & fabricant, vitam disponunt, actiones regunt, agenda & omittenda demonstrant: sedent ad gubernacula, & per ancipitia fluctuantium dirigunt cursum.

III. (c) Hunc litterarum fructum egregie explicat disertissimus Muretus, orat. de laud. lit. Litterae, inquit, nos ubi primum firmiter incedere, atque articulatius loqui coepimus, de ipso propè nutricum acceptos sinu, titillatione quadam honestissimae voluptatis alliciunt, allectos praeceptis saluberrimis complent: non tantum bene dicendi, verum etiam bene vivendi commonstrant vias: excitant in animis nostris igniculos gloriae: quantus sit in virtute splendor, quanta in vitii deformitas edocent: quae qui semel penè penitus imbiberint, ii nunquam non postea & vitii turpitudinem omni studio refugient, & officii, honestatisque rationem rebus aliis omnibus anteponent. Amœnum est, quod de Musarum beneficio ac gratia Caussinus memorat in Symbolis historicis, lib. 3. c. 26. Comates inquit, in Sicilia heri divitis servus pecora pascens, consueverat nonnunquam Musis aliquid de gregibus domini offerre. Id cum rescivisset herus, duriter servulum increpat: Orat Comates, ne succenseat, fore enim, ut Musarum beneficio omnia cumulatè reddantur. At dominus, age, inquit, experiamur, an Musae sint te nutricaturae; & servum in arborem excavatam inclusit, atque ab eo recessit relicto, ut fame moreretur. Exactò annò cum ad eum locum rediisset, Comatem vivum atque incolumem invenit, & multum favorum in arbore, unde victitarat. Apes enim in eam arborem per rimas penetrantes, suaviter illum aluerunt. Adeò non perit, quod Musis & viris litteratis impenditur. Hæc ille. Atque ut Comates alumnum Musarum repræsentat; ita herus ipsius paradigma præbet hominis sordidi, & litteras exosi. Reperias enim Eucliones, tam nummis divites, quàm ingenio & doctrinâ inopes, qui plus curæ impensæque in pullum insumunt equinum, bene pascendum, quàm in filium liberalibus artibus imbuendum. Jacturam putant & profusionem, si instituendo puero alatur pædotriba; cum tamen bubulcis suis, & caprariis, & porcariis stipendia solvere non graventur.

IV. (d) Neque frustra Parnassum & Heliconem, montes in caelum erectos, inhabitare dicuntur Musae. Nam ad eruditionem aspiranti, anhelandum est in ardua. Sicut nemo timidus trophæum statuit:

Zzz 3

sic

(c) Litterarum dignitas & Voluptas. (d) Cui Musa in monte habiteat.